

ceps alia verborum parte nihilominus B post posuerit rō A, tunc enim manebit perplexitas. Præterea comparando positiones, si una pugnantium alterâ fortior est, v. g. una ex jure speciali, altera ex communi descendit, una alteram vincit, & victa non adesse intelligitur, cessatque perplexitas.

X X I.

Ut autem in proximis casibus resolutio, ita in aliis ORIGO PERPLEXITATIS est à celeberrima regula: *si vinco vincentem te, multo magis vinco te ipsum*, per l. de accessionibus 14. §. *etsi mihi pignori. 3. D. de divers. & temp. præscript.* seu, ut ego enunciare malo: *Prior priore est prior posteriore.* Quæ ex intima Philosophia fluxit, & longè altius abstrahi potest, nam & causa causæ est causa causati, & genus generis est genus speciei, & requisitum requisiti & requisitum requirentis, & conditio conditionis est conditio conditionati, & simile simili est simile simulacro, & subiectum subiecti est subiectum prædicati, & pars partis est pars totius. Quæ omnes regulæ etiam inverti possunt, sic v. g.: *Totum totius est totum partis, prædicatum prædicati est prædicatum subiecti.* Quales regulas omnes cum Everhardo in *Locis Legalibus* appellare possis: *argumentum à primo ad ultimum.* Putet igitur aliquis generaliter sic dici posse; *Si est A. ad B, ut B ad C similiter erit A ad C.* Quod verum est tum in actibus, tum in relationibus. In actibus indeterminatis, & generalibus nec cum speciali qualitate, quam fortè efficiunt sumtis, v. g. in genere physicè loquendo verum est: *impellens impellentis, esse impellens impulsivi, per longam consequentiam, nec semper sensibilem, tamen modi cessant, nam v. g. etsi ego lapidem fortiter impulero, non tamen semper lapis rem, evanescente ob spatium impetu.* Tales actus speciales sunt: *amare, Societatem contrahere, manumittere, locare, mandare.*